

medio tollendum. Si Alexander, ab-  
 sorptâ illâ potionē, mortem oppet-  
 tuisset, quantas in angustias Philip-  
 pus seipsum præcipitasset & opere  
 ipso confirmasset, Parmenionis insi-  
 mulationem, de veneno oblato, haud  
 vanam, aut frivolum. Sed Fortuna,  
 vel dispositio ab Alto, utriusque  
 sospitatrix censenda. Hæc cum  
 saltem in finem exarare libuit, pro  
 opere velut supererogatorio, ad  
 ponderandum, si cum tribus meis  
 prioribus responsoriis conferantur,  
 utrum exin non potior captanda  
 conjectura, pro haustu laxante,  
 quam corroborante; absconum ab  
 ullo confortante, confestim ab inge-  
 stione, tam funesta concitari sym-  
 promata, indigna illa titulo corro-  
 borantium, vires non rescipientium,  
 sed solventium, & pœnè in cym-  
 bam Charontis præcipitantium. Sed  
 manum de tabulâ.

## EPISTOLA XI. Ad eundem.

**Q**uemadmodum in mari  
 unda trudit ac impellit  
 undam, haud secus, ex  
 uno dubio, emergunt  
 plura diluenda. Cum  
 animadvertam istam conversatio-  
 nem literariam tibi acceptam, ina-  
 micum sit recusare, ut texturam te-  
 læ pridem captæ continuare, æqui-  
 tatis censeam. Haud ignotum mihi,  
 ex ordine Medicorum duos præci-  
 puos fuisse Thessalos, quorum alter,  
 filius Hippocratis, qui virtutum pa-  
 ternarum æmulus, honorificam sui  
 nominis, apud posteros, reliquit me-  
 moriam, is aliquot seculis Philip-  
 pum præcessit, & neutiquam author  
 diatritariorum sectæ constituendus:  
 sed alter ille Thessalus famosus, qui  
 Romæ sub Neronis imperio, vixit,  
 & aliquot centenis annis posterior  
 Philippo, is teste Galeno, l. 1. Meth,

c. 2. ad Neronem literas misit, jacti-  
 tans, se novam sectam condidisse,  
 quæ sola sit vera, omnes alios Me-  
 dicos despiciens, ne Hippocrati par-  
 cens, quin ejus præcepta velut no-  
 xia, traducere haud sit verecunda-  
 tus, adversus istum impudentis. Sy-  
 cophantam Galenus calamum strin-  
 xit, diatritariorum Coryphæum.  
 Ergo Philippus aliquot seculis prior,  
 ex illo nihil subsidii capere potuit,  
 cum ejus phantasmata, de triduanâ  
 inediâ, tum incognita, exin haud ve-  
 risimile, Alexandrum à Philippo tri-  
 duanâ abstinentiâ fuisse excarnifica-  
 tum, aut eo sine curam procrastina-  
 tam: sed cum Græci ab Ægyptiis,  
 medicinam acceperint, & Mercu-  
 rialis libr. variarum leet. referat, Æ-  
 gyptios Medicos in principio mor-  
 borum, purgantia vitasse, cum &  
 Aristoteles lib. 3. Polit. tradat, Ægy-  
 ptios

Qq 2.

ptios

prios veritos à principio purgationes, & in morbis, quartum diem, tanquam judicalem, ferè semper & ubique observatum. Exin rationi consonum, Philippum istum morem ab Ægyptiis traxisse.

Et si Philippus existimari queat temerarius, Alexandro exhibens tam valida purgantia, ut graviora confectaria symptomata, succurrunt rationes haud frivola, illi patrocinant.

Primò Alexander ipse in causâ seu culpâ. Siquidem Q. Curtius tradit, ipsum decumbentem convocasse quosdam amicos & Medicos, eos sic affando: Lenta remedia & lægnes Medicos non expectant tempora mea, vel mori strenuè, quàm tardè *convalescere, mihi melius est.* Proinde si quid opis, si quid artis in Medicis est, sciant, me non tam mortis, quàm belli remedium querere. An non pathetica ista sermocinatio Medicos commovere debuisset, ad quidvis tentandum, & communi consilio opitulandum. Sed cum cæteri formidolosi, ne obrectandi ansam præberent, curæ se subduxissent, solus Philippus cordatior, consultius est arbitratu, anceps remedium experiri, quàm Alexandrum totius orbis Monarcham, cum opprobrio omnium Medicorum, omnibus præsidii humanis destitutum, morti abripiendum committere. Exin singulare encomium fidei, & felicitatis

in historiarum monumentis, est affectus, cujus memoria honorifica etiamnum durat in Oratorum declamationibus, & Theologorum concionibus, & cum Alexander post triduum restitutus, unâ cum Philippo, in conspectum militum venisset, avidius hunc, quàm illum intritus exercitus, pro se quisque dextram amplexi, grates habuerunt, veluti præsentì Deo. An non etiam nostro ævo, non rarò audaculi Medici juniores, aliâ multò rudiores, imò Agyptæ & Circumforanæ, Medicis primarius palmam præripiunt, extremis morbis, extrema adhibentes remedia, sursum & deorsum evacuantia. Talium patrona videtur esse Fortuna, spiritibus timidis, audacioribus auxiliares manus porrigens, cum & Natura, convenientibus remediis adjuncta, sæpius miracula edat, & eos restituat, de quibus desperatum ac conclamatum. Si verò Alexander à potione illâ vitâ privatus fuisset, an non Philippus prætere potuisset, morbum lethalem, cui expugnando, nullum par præsidium, cum ob instans periculum, ab omnibus aliis Medicis desertus, se ex condolentiâ, & veteri in Regem fide, totis viribus eo intentum, ad Naturam allevandam, quàm turpiter ipsum, omnis consilii & auxilii expertem, cum omnium Medicorum dedecore, relinquere. Opratus successus ac eventus Philippo suffragatur,

tur, dum suppresso aliorum Medicorum nomine, illius solius memoria in ævum celebranda.

2. Quoad objectionem, Philippum commodius per enema subvenire potuisse ad præcavendam recidivam. Utrum eundem effectum, tum beneficio clysmatum, assequi licitum, videtur valdè ambiguum: Si talia illo seculo usitata, qualia nostro ævo in promptu, fortassis contulissent, sed cum æquè ex violentis ingredientibus concinnanda, ac per os ingerenda, non minus periculum verendum, ob tormina & etiam convulsoria pathemata. Salus Regia diluit ista objecta omnia.

3. Quoad nuperam meam distinctionem, ad questionem, utrum in convulsione, clysmata vel per os exhibita purgantia convenientiora, ponderandum esse, quo in loco humores hæreant, si in capite, ventriculo, intestinis superioribus & vicinâ subsistant, præferenda per os ingesta, sin verò in intestinis inferioribus, & mesenterii regione recondita, enemata præponenda, cum tamen D. Spiegelus, corpus universum, æquè per clysmata, ac per os sumpta, evacuari posse asserat.

Optandum, excogitari posse modum curandi omnes morbos beneficio clysmatum, o quam felices ægri deprædicandi, si quis id attentare velit, vereor, ne fallat & fallatur. Et si concedatur, per clysteres purgan-

tes, præsertim validiores, etiam totum corpus interdum evacuari posse, dum vaporosa, seu spirituosa materia, expirans quaqua versum se diffundat & vitiosos humores vel attrahit, vel extimulata facultas expultrix eos exterminat, tamen tenuiores magis ac serosi humores medicamento trahenti, & virtuti expellenti cedunt ac obediunt, crassiores ac lenti, seu mucilaginosi resistunt, instar glutinis adhærescentes. Accedit, quod clysmata haud diu retineantur, quin spacio semihoræ, vel raro unius horæ excernantur, & ob brevioram moram denegata facultas excrementitios humores inquirendi & ejiendi.

Insuper convulsionum causa materialis, ut plurimum in intimis penetralibus, sub utroque hypochondrio delitescit, nec exin, nisi fortioribus pharmacis, averrucari queant, cum sæpius per os oblata purgantia, haud sufficientia, nedum enemata, ut ad mali radicem penitus revellendam, requirantur Emetica. Haud abs re memorabilem historiam subjicere, D. Fabri Medici Galli, qui in suis Observat. refert, sibi obtigisse Virginem Nob. & prædivitem, convulsionibus Epilepticis obnoxiam, curandam, spacio quinquennali à diversis Medicis, in cassum tractatam, tandem re pœnè desperatâ, se exhibuisse ℞. salis vitriolati cum aq. artemisiæ, succedaneâ ingenti copiâ bilio.

bilioforum & viridium excrementiorum humorum, per vomitum reiectione, à fevo ac contumaci illo malo immunem redditam, tam prosperam medelam, illam grato animo recognoscere, sibi nuplisse, se cum omnibus suis amplis facultatibus tradidisse. Recto igitur talo adhuc stat, mea nupera sententia, multò commodiùs & expeditiùs fieri evacuationem, per os oblati, quàm per alvum, illatis. *Questionum choream claudat pulvis Viperinus, quid de eo sentiendum, cum in Italià non ampliùs conficiatur ex carne, veterum more, in arthriticis affectibus, ad totius corporis corroboracionem, sed tantum ex pulmone & Epate, (miror, cur non cor pro pulmone substituendum, quod alii facere soliti, in pulvere colubrino præparando.) Ego præferrem ex carne Viperinà, veluti multis seculis probatum & minus noxium censerem. Galenus lib. II. de simpl. med. facult. carnem Viperinam siccam & mediocriter calidam statuit, & vehementem digerendi facultatem ei attribuit, & per cutim evacuandi, exemplo leproforum à fevâ lue liberatorum, Ego existimarem pulverem illum præparatum ex pulmone & Epate, calidioris qualitatis, cum istæ partes alantur ex calidiore sanguinis portione, cum qualis causa, tale causatum: quale alimentum, tale alimentatum.*

Mihi est admirationi, pulverem illum indiscriminatum in omnibus arthriticis dispositionibus exhiberi, cum earum, pro causarum varietate, magna sit differentia. Cum vel à causâ calidâ, vel frigidâ, ab humorum serosorum acriorum, vel bilioforum ichorum defluxione proficiantur. Podagræ cura non consistit in corroboracione partium, quin potius ratio habenda, viscerum concoctioni inservientium, & membrorum mittentium, quorum culpa vitiosi humores geniti, per debitas vias non excernuntur, sed diutius retenti, dum in vasis Indies magis coacti, instar fluminis alveum excedentis, exitum quærentis, inundare & quaquaversum se exonerare solent. *Etsi corroborantia usurpanda, sed morbosa illa interaneorum viscerum constitutio corrigi nequeat, subinde nova regeneratur materia, quæ recidivæ causa. Etenim cum materia potulenta cum cibus ingesta ad chyli *ἀνάδοον* seu distributionem inserviat, exin ab Hippocrate *ἄρτην ἰσχυρὰν* vehiculum alimenti, haud inscitè dictum, serositas illa ad parandum chylo crassiori, qui aliàs per venas angustas transire non posset, commeatum dicata, ubi suo munere perfuncta, non ampliùs in venis remanere debet, quin separata à massâ sanguineâ, per venas emulgentes tracta ad Renes, & per ureteres ad vesicam delata, excernenda, si verò*

si verò cunctetur, & in venoso ac arterioso genere subsistat, quotidie magis accumulata, vel suâ sponte, repagulo soluto, dimanet ac profuat, vel copiâ, aut inimicâ qualitate Natura irritata expellat, eam ad extremos artus præcipitando. Hisce præsuppositis, si pulvis Viperinus in præservando à podagrâ, quidpiam commodare debet, tum eum effectum præstabit, non tam corroborando, quàm exiccando, sed potissimum insigni suâ vi diaphoreticâ, facultate digerendi & per cutim evacuandi.

Sed distinguendum inter complexiones, & causâs Podagræ, utrum à calidiore dispositione proveniat, vel frigidiorè. Si serosi exorbitent humores, in habitu corporis divagantes, resolvendo ac discutiendo, multum conferret: sin verò ex fervidiorè massâ sanguineâ scaturiat, ex illius usu magis incandescet, prout illius Itali, cujus in tuis literis facta est mentio, sat gravis est querela, se ex illius usu, in multo deteriore statu delapsu, cum fuerit præditus præcalidâ ac cholericâ corporis constitutione. Vel ex in etiam lucu-

lentum capiendum documentum, quantum intersit, in dextro remedium usu, respiciendo diversitatem complexionum & morbificarum dispositionum, non unam selam omnibus equis ex æquo adaptando.

An non meritò mirandum, positionem medicam Alexandrinam, ansam suppeditasse, tot ac tantas epistolas exarandi, qua de re, apud alios authores, nihil nunquam legere contigit. Sed hîc terminus esto, & finaliter gratias ago, tam commodam mihi meditandi occasionem à te oblatam, dum in memoriam revocata haud protrita, quæ mihi ipsi sunt oblectationi, quoties eorum recordari soleo, eò magis, cum discursus ille à me institutus anno ætatis meæ 78. quæ etiamnum, Dei Opt. Max. benignitate, Ente & Menre haud imbecillior, ac olim adolescentia fuerat: Qui & impostum prævalido suo brachio me protegat, & incolumem conservet, dum absoluta calamitosa hujus vitæ fatali periodo, ex hoc Mundi theatro abire, & transire licitum in gaudia æviterna.

## EPISTOLA XII.

*Questio, utrum alexiteria immediatè ab oblato veneno,  
& quâ dosi sint exhibenda? ad Dn. D. Scultetum.*

**R**atio suggerit efficacius alexipharmacum æstimandum, si aliquanto temporis intervallo post ingestum venenum offeratur, ubi graviora se exerunt symptomata, Si statim à sumpto veneno, alex-